Ros Dok Rostocker Dokumentenserver

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Peter Wasmund

Rector Academiae Rostochiensis Petrus Wasmundt I. U. D. & Professor, Ad exequias funebres Quas ... Virgini Margaretae Crugers, ... Vir Dn. Johannes Sibrandus I.U.D. & Reipublicae urbanae Syndicus ... Omnes omnium ordinum cives Academicos peramanter & officiose invitat

Rostochi[i]: Pedanus, 1631

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777431890

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Wasmundt, P.,

in M. Cruger,

uxor. J. Sibrand.

R. 1631.

57

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777431890/phys_0001
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777431890/phys_0002
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777431890/phys_0003
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777431890/phys_0004
DFG

RECTOR
Academiæ Roſtochienſis
PETRUS WASMUNDT
J. U. D. & Profeſſor,

Ad exequias funebres

Quas

Pudiciſſimæ & Decoræ Virgini

MARGARETÆ
CRUGERS,

Ampliſſimus, Clariſſimus & Conſultiſſimus Vir

Dn. JOHANNES SIBRANDUS
J. U. D. & Reipublicæ urbanæ Syndicus meritiſsimus,

Hodiè ad medium primæ pomeridianæ in templo Nicolaitano paratas cupit,

Omnes omnium ordinum cives Academicos peramanter invitat.

ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI *Acad. Typ.*
ANNO M. DC. XXXI.

BIBLIOTHEK D. MECKLENB. RITTER. U. LANDSCHAFT.

57

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777431890/phys_0005
DFG

RECTOR
Academiæ Roſtochienſis
PETRUS WASMUNDT
J. U. D. & Profeſſor.

INter alios moleſtiſsimos labores, quibus vitæ humanæ curſus conficitur, non minimus eſt is qui paſſim in muniendis arcibus civitatibus & militum receptaculis collocatur, quibus ab incurſu hoſtium corpora ac bona civium quavis ratione defendantur. Cui providentiæ & curæ tuendorum corporum & bonorum ab hoſte externo utinam reſponderet ſtudium & meditatio repellendi illius qui cum mortalibus immortale bellum gerit! nunquam tot animæ in triſtiſsimos Diaboli laqueos inciderent, & miſerandum in modum perirent. Iam tanta in hominum mentibus radices egit Securitas, ut inter maximas hoſtium infenſiſ-

ſimorum copias, pleriq; ſine muris, ſine propugnaculis, ſine armis & excubiis imò ſine ullo apparatu, veterno quaſi oppreſsi jaceant. Quo quid periculoſius dici aut eſſe poteſt? Deplorata certè eſt tranquillitas ubi corporis domicilium, contra haſtas, balliſtas, & alia inſtrumenta bellica, ad nocendum & occidendum inventa, clauſum ſeptum & munitum eſt: animus veto domeſticis hoſtibus ſemper patet, ab ijsque oppugnatur quotidiè & expugnatur. Quod ſi alterutrum omittendum ſit, quanto ſatius fuerit, contra eos, qui animæ inſidiantur fortalitium exſtruere, quam qui corpori? Enimvero quam fragilia ſint ejuſmodi propugnacula, immenſis ſumtibus & indefeſſo mortalium ſtudio & labore omnibus ſeculis excitata, quid attinet dicere? plurimarum arcium, quæ olim validiſsimæ habitæ ſunt, cadavera hodiè argumento ſunt, nullum uſpiam reperiri locum inexpugnabilem. Ingens jacet Ilium, jacet Corinthus, quæ perpetuitatem conſequentis temporis ſibi certo polliceri poterant: tum vero quam multi reges potentiſsimi ex turrium culmine in hoſtium vincula tracti ſunt: exercitusque Romanus muros Hyeroſolymitanos transvolavit. Quod hoc præſenti ævo, in quo

jam

jam vivimus, minus habet dubium, videmus enim quomodo non tantum mirifica & portentoſa tormentorum bellicorum inventione & horribili diſploſione cuncta contremiſcant, & ſubito caſu quæ valuere ruant: verum etiam quomodo admirabiliũ operum machinatores & artifices in excavandis cuniculis & immiſſis tormentarij pulveris fomentis adeo terribiles flammas excitent, ut obſtructis ſpiramentis violentia obluctantis intus flammæ non mœnia modo, ſed & rupes & propugnacula excindant & cum ruina multorum mortalium perfringant. Atq; ut maximè arces munitæ ad ferendam obſidionem ſint latebræ, impetumq; hoſtilem ad tempus ſuſtineant: mortem tamen excludere nequeunt, quæ nec ad conſcendenda turrium faſtigia ſcalis indiget, nec ad diruendos muros ariete; ſed ut Poëta canit, æquo pede pulſat pauperum tabernas regumq; turres, eosq; ex auguſtis palatijs in anguſtas admodum domus conjicit. Rectius igitur faciunt & melius ſibi conſulunt, qui ante omnia de profugio animæ ſunt ſolliciti; id quod fecit pudiciſsima & decora virgo *Margareta Crugers* quæ nudiustertius circa ſeptimam veſpertinam forma & ætate florida inſtar roſæ e-

marcuit. Nata fuit hæc defuncta noſtra in vicina & celebri urbe WISMARIA Anſeaticarum civitatum haut poſtrema, Anno 1611. Patre viro Ampliſsimo ſpectatiſsimo & prudentiſsimo *Dn. Joachimo Crugero* conſule illius urbis verè meritiſsimo; Huic enim ſalus patriæ ita cordi fuit, ut Reipublicæ inſerviendo, ſemetipſum conſumpſerit, & in medio curſu ætatis, inter civium ſuſpiria & lacrymas hinc evocatus fuerit: matre vero fæmina à pietate, matronaliumque virtutum decore conſpicua, *Agneta* Swartzekopfs è vetuſta & conſulari hujus gentis proſapia oriunda. Avus quippe defunctæ maternus *Caſparus* Swartzkopf & proavus *Georgius* Swartzkopf ambo Conſulari officio & dignitate dum viverent functi ſunt. His de familijs & Claris progenitoribus prognata MARGARETA, non potuit pietatis & morum optimorũ ſuccum cum lacte materno non imbibere & poſtea in officinis pietatis magis magisq; eo imbui & præparari. Cũ vero in prima ætate utroq; orbaretur parente, materrera ejus fæmina à probitate & rei oeconomicæ ſtudio plurimum cõmendata, *Catharina* Swartzkopfs tũ vidua, ſed poſt decennalem viduitatem viro ampliſsimo Clariſsimo & conſultiſsimo *Dn. Johanni Sibrando* Reipublicæ urbanæ Syndico meri-

meritiſsimo amico noſtro honorando ſingulari Dei providentia in ſecundum matrimonium data, hanc defunctam filiæ loco ſuſcepit, amavit & educavit. Et licet corporis vires & roſei coloris aſpectus longiorem vitam promittere videbantur, duodecimo tamen abhinc die periculoſiſsimè jam graſſantis dyſentericæ luis ignicula ſenſit, & ingruentis morbi acceſſum propatri ſuo aperuit, qui adſcito Viro Clariſſimo & experientiſtimo Dn. *Joachimo Stockmanno*, Profeſſore publico, & medico eximio, de ſcintillulis mali hujus gliſcentis in ipſis cineribus extinguendis admodum ſollicitus fuit, & decumbenti ſubinde adſtans in ſe nihil deſiderari paſſus eſt. Verum materiæ malignitas ejusq; copia adeo larga & pertinax fuit, ut omnē artis & medicamentorum curam ſuperaret, & indies incrementum ſumeret, donec viribus pedetentim proſtratis & tandem penitus dejectis 2. hujus menſis circa horam ſeptimam veſpertinam adſtantibus quam plurimis in vera veri Dei agnitione placidiſsimè exſpiraret, eidemq; creatori animam ſuam redderet. Lugebunt abſq; dubio triſti hoc nuncio accepto immaturum hujus pudiciſsimæ virginis obitum, tum frater *Joachimus* in Monte Regio ju-

ris

ris ſtudio ſedulam navans operam, tum Sorores, *Emerentia, Catharina, Agneta, Anna, Birgitta*; quarum prima *Danieli Blomenthal*; altera *Johanni Hagemanno*; tertia *Petro Sivers*, civibus Wiſmarienſibus primarijs & honeſtis elocatæ ſunt: reliquæ adhuc innuptæ & in lugubri orphanorum ſtatu conſtitutæ vivunt. Cum vero piè defunctæ exuvijs nullum officium gratius præſtari poſsit, quam ut monumẽto inferatur & recondatur, id quod hodiè ad medium primæ pomeridianæ in templo Nicolaitano fiet; Ideo rogo omnes juriſdictionem noſtram agnoſcentes, Profeſſores, Doctores, Magiſtros, verbi divini magiſtros & nobilem atq; ſtudioſam juventutem, ut dicto tempore & loco frequenter conveniant, & benevolentiam ſuam erga defunctam præcipuè vero erga Virum Clariſsimum Dn. D. *Sibrandum* declarent, & Eccleſiam, Academiam, Rempublicam, ſe, & vitam ſuam, pijs votis & precibus hiſce turbulentiſsimis & periculoſiſsimis temporibus Deo opt. max. commendent. P. P. Sub Sigillo Academiæ, 4. Septemb. Anno 1631.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn777431890/phys_0013
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777431890/phys_0014
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn777431890/phys_0015
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn777431890/phys_0016
DFG

meritiſsimo amico noſtro ho … ſingulari Dei providentia in ſecun … rimonium data, hanc defunctam filia … epit, amavit & educavit. Et licet co … es & roſei coloris aſpectus longioren … romittere videbantur, duodecimo … inc die periculoſiſsimè jam graſſantis … cæ luis ignicula ſenſit, & ingruentis … ceſſum propatri ſuo aperuit, qui adſ … Clariſſimo & experientiſtimo Dn … *Stockmanno*, Profeſſore publico, & … eximio, de ſcintillulis mali hujus gliſc … pſis cineribus extinguendis admodu … us fuit, & decumbenti ſubinde adſtan … il deſiderari paſſus eſt. Verum ma … ignitas ejusq; copia adeo larga & perti … t omnē artis & medicamentorum cur … ret, & indies incrementum ſumere … viribus pedetentim proſtratis & tand … is dejectis 2. hujus menſis circa hora … am veſpertinam adſtantibus quam … in vera veri Dei agnitione placidiſsin … ret, eidemq; creatori animam ſuam … . Lugebunt abſq; dubio triſti hoc … ccepto immaturum hujus pudiciſsi … is obitum, tum frater *Joachimus* in … egio juris

ris